

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Certamen Oratorivm De Militari Gloria Inter septem Milites Hispanvm, Germanvm, Francvm, Italvm, Polonvm, Belgam, Hungarvm

Vernulaeus, Nicolaus

Coloniae, 1623

Ad Lectorem

[urn:nbn:de:bsz:31-107383](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-107383)



AD LECTOREM.



HN, Lector, ad Certamen te vocamus, non ut pugnes, sed spectes. Pugnant Ingenui & Docti Iuvenes, Auditores mei & Eloquentiae Candidati, nō ut sanguinem eliciant, sed Eloquentiae specimen exhibeant. Huic ipsi industriam & operam suam sub me consecrant, ut Reipublicae aliquando profint. Placuit in Nobili Argumento, De Gloria Militari, vires suas probare, ut tibi imprimis materia dignitate placerent, tum ut gloriosius sese exercerēt. Quippe de Gloria Militari certantes Gloriam quaesuerunt; & cum Milites agerent, Oratores videri voluerunt. Suam Palladem armatam esse non ignorant, qua laeva librum, dextrâ hastam tenet. Ita verò certauerunt, ut cum

vince-

vincere singuli contenderent, nemo
tamen sit victus. Gloriam omnes &
album calculum reportauerunt, ne-
mo nigrum. Neque animus erat suam
laudem vlli Nationi diminuerē, sed
sanè augere. Adeò laudare placuit,
non vituperare. Tu, si vis, iudica de
principatu. Nec mireris septem tan-
tum in hac Arena Nationes com-
parere. Inter Europæ populos hoc cer-
tamen est, in ea vero qui præterea po-
puli supremam sibi armorum Gloriã
vendicent? Britãnos scimus strenuis-
simos, quorum tot in Gallijs trophæa;
validissimos Bohemos & robore vere
martio fortissimos; generosos & seue-
ro in Hostes animo Burgundos; manu
animosq; bellicosos Sabaudos; omni ar-
morum genere præstantes Lotharin-
gos; alios Martiales omnes populos;
sed qui aut septem his Nationibus ad-
iungantur, aut sanè certare de Glo-
ria cū ijs non possint. Tu hisce fruere,
Candide Lector, & generosis conati-
bus faue.

A 5

CER.